

platione solum potuissent accendi in nostra sententia in amorem bonitatis Dei ut auctoris naturae. Ergo...

Resp. Dist. *maj.* Accenduntur immediate; neg. Mediate, occasionaliter; conc. Ratio est, quia ex sola consideratione naturali creaturarum non potest oriri actus supernaturalis cognitionis Dei; sancti tamen incipiendo a naturali cognitione saepe et facile transibant ad cognitionem fidei vel aliam supernaturalem, cui si dilectio Dei ut auctoris naturae velut regulae innitebatur supernaturalis etiam erat talis dilectio.

Obj. 5.<sup>o</sup> Si Deus alicui solum daret auxilia necessaria, ad amorem in substantia naturalem eliciendum; et simul ei proponeretur Deus ut bonum supernaturale et ut auctor est supernaturalium, talis adhuc poterit amare Deum amore naturali, objectum tamen amoris erit supernaturale. Ergo sicut actus naturalis potest tendere in Deum supernaturalium auctorem; ita actus supernaturalis in Deum naturalium auctorem.

Resp. Dist. *antec.* Poterit amare objectum supernaturale materialiter et specificative; conc. Reduplicative et formaliter; neg. In casu enim proposita supernaturalitas ex parte objecti non esset *ratio formalis objectiva* sub qua Deus amorem terminaret, sed quaedam pars materialis objecti terminans amorem naturalem erga Deum (1).

#### SCHOLION.

*An quaevis perfectio Dei seorsim sumpta possit esse objectum formale charitatis.*

**Dico:** Probabile est quamlibet infinitam Dei perfectionem seorsim sumptam abstrahendo ab aliis, esse sufficientem ad objectum formale charitatis constituendum.

152. **Nota.** Cum dicimus, quamlibet infinitam Dei perfectionem, puta justitiam, sapientiam, personalitates Patris, Filii... esse sufficientes ad objectum formale charitatis, eas non sumimus *sub eorum proprio conceptu formali*; sic enim satis constat, non posse esse objectum formale charitatis; siquidem haec debet ferri in Deum sub ratione boni. Assertio est praecipue contra aliquos thomistarum sentientes esse divinam bonitatem prout est attributum speciale Dei, a natura et caeteris attributis distinctum, continetque perfectionem summam operandi et amandi (2).

Prob. Quia singulae perfectiones Deo intrinsecae sunt infinitae in suo genere; ergo reddunt Deum infinite amabilem propter se ibi

(1) V. Suar. De charitate. D. 1, sect. 2.—(2) V. D. Thom. 2, 2, Q. 18, a. 5, ad 2, Q. 23, ar. 5, ad 2, a. 4.

sistendo, ideoque amabilem amore amicitiae et super omnia quae non sunt Deus. Sed verus Dei amor amicitiae ac super omnia est amor charitatis. Ergo non solum perfectiones Dei collective sumptae, sed etiam singulae distributive acceptae possunt esse objectum formale charitatis.

153. Obj. 1.<sup>o</sup> Quilibet actus charitatis est perfectissimus; ergo habet objectum formale perfectissimum; ergo omnem omnino perfectionem Deo intrinsecam.

Resp. Dist. *antec.* Est perfectissimus ex suo genere, sive ex suo modo tendendi generico, qui est sistere in bonitate Dei absoluta, eamque amare propter se et quidem super omnia; conc. Est perfectissimus hoc sensu quod inter actus charitatis non detur alius alio perfectior tum intensive, tum extensive etiam ob extensionem ad plures Dei perfectiones et plura bona sive intrinseca, sive extrinseca Deo amanda; neg. Unde non debet omnis actus charitatis, quamvis ex suo genere perfectissimus, habere pro objecto formali omnes Dei perfectiones collective. Hac de causa Deus per quemlibet actum charitatis amatur ut perfectus, et quidem infinite in aliquo genere, at non ut infinite perfectus in omni genere; hoc enim proprium est actibus charitatis ex objecto formali extensive perfectissimis (1).

Obj. 2.<sup>o</sup> Antiqui theologi cum D. Thoma solam bonitatem divinam praedicabant objectum formale charitatis. Sed haec bonitas non potest esse communis et multiplex, cum charitas sit una et simplex. Ergo...

Resp. Explico, solam bonitatem divinam, quae non est unica et simplex consideratione nostra, sed multiplex; conc. Quae sit unica; neg. Vel subdist. Generice, quatenus quaevis Dei perfectio eum reddit *infinite et super omnia amabilem*; conc. In individuo, quatenus sit aliquod attributum distinctum a caeteris et quod non ab omnibus participetur; neg. *Min.* neg. Quia ad unitatem habitus, sufficit omnes perfectiones singulares seu bonitates Dei inadaequatas convenire in eo quod eodem modo invitent voluntatem ad amandum Deum super omnia propter se (2).

#### THESIS XXVIII.

Charitas, qua nos ipsos et proximum propter Deum diligimus, unius ejusdemque est speciei.

154. **Nota.** Triplici habitudine possumus nos et proximum propter Deum diligere: a) cum proximus diligitur praecise ut est quoddam bonum extrinsecum Dei, ad ejus gloriam aliquo modo conducentis; b) cum diligitur ut participans aliquid de perfectionibus divinis, ratione quarum habet aliquam cum Deo similitudinem, sic ut in eo reluceant aliquae Dei perfectiones; c) cum diligitur praecise quia amatur a Deo (3). Thesis est communis et certa.

(1) Platelli de charitate, n. 391.—(2) Ripalda. De virtut. theolog. D. 35, n. 12.—(3) Platelli. De charitate, n. 443.

Prob. 1.<sup>o</sup> ex Scriptura (1): *Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, et charitas ejus in nobis perfecta est... Et hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum.* In quibus eidem charitati erga Deum tribuitur dilectio proximi.

2.<sup>o</sup> Ex S. Augustino (2): «Ex una igitur eadem charitate Deum proximumque diligimus: sed Deum propter Deum, nos autem et proximum propter Deum.»

3.<sup>o</sup> Cum Angelico (3): necesse est quod idem specie sit actus, qui fertur in rationem objecti, et qui fertur in objectum sub tali ratione. Ratio autem diligendi proximum Deus est; hoc enim debemus in proximo diligere, ut in Deo sit. Unde manifestum est quod idem specie actus est quo diligitur Deus, et quo diligitur proximus. Et propter hoc habitus charitatis non solum se extendit ad dilectionem Dei, sed etiam ad dilectionem proximi.

## SCHOLION I.

*An sit charitas proximum diligere propter bona supernaturalia creata.*

155. **Dico:** Verisimilius est amorem quo proximum diligimus propter bona supernaturalia gratiae vel naturalia supernaturaliter regulata, ut sunt quid creatum, etiam ad charitatem pertinere.

Ita innuit D. Thomas (4); eum sequitur Suarius (5), contra alios (6) quorum sententia est probabilis, volentes pertinere ad amicitiam quamdam moralem supernaturalem respondentem amicitiae acquisitae naturali.

Prob. 1.<sup>o</sup> Quia in Sacra Scriptura et Patribus inauditus est alius amor infusus Dei et proximi. S. Augustinus expresse dicit (7), quando diligitur proximus, qui spiritualiter regeneratus est, ex charitate diligi.

2.<sup>o</sup> Omnes homines existentes in gratia, ut sic sunt quodammodo Dei; ergo conveniunt aliquomodo in eadem ratione formali objecti, sub qua idem habitus inclinatur. Confirm. Nam certum est omnes angelos et homines habere eandem rationem formalem objecti diligibilis; ergo et eandem cum Deo, dicente Augustino (*De Trinit. l. c.*) «Qui proximum diligit, consequens est ut ipsam etiam dilectionem diligat.»

3.<sup>o</sup> Quod est tale per participationem ejusdem ordinis, reducitur ad id quod est tale per essentiam; tota autem bonitas supernaturalis est quaedam participatio divinae bonitatis. Ergo.

(1) 1.<sup>a</sup> Joann. VI, 12, 21.—(2) *De Trinit. l. 8, c. 12.*—(3) 2, 2, Q. 25, a. 1.—(4) 2, 2, Q. 25, art. 1, et 2.—(5) De charitate. D. 1, sect. 3.—(6) Ripalda. De virtut. theolog. D. 32, sect. 2.—(7) L. 8 *De Trinitate*, c. 8; serm. 13 *De tempore.*

156. Obj. 1.<sup>o</sup> De ratione virtutis theologicae est, ut saltem ex parte objectum formale ejus sit increatum. Sed juxta hanc sententiam etiam bonitas creata esset totalis ratio formalis. Ergo.

Resp. Dist. *maj.* De ratione virtutis theologicae est ut ratio formalis ejus objecti sit saltem ex parte increata vel simpliciter vel reductive in quantum participatio ejusdem ordinis ad suam originem revocatur; conc. Tantum simpliciter; neg. *Min.* dist. pariter; est bonitas creata, quae tamen ad divinam revocatur, conc. Quae non revocetur ad divinam; neg.

Obj. 2.<sup>o</sup> Potest honorari creatura vel propter intrinsecam excellentiam creatam, ut Beata Virgo; vel proxime et immediate propter excellentiam increatam, ad quam dicit habitudinem. Sed horum actuum unus pertinet ad dulia, alter ad latria. Ergo a pari, etc.

Resp. Neg. pariter; charitas per amorem respicit objectum sub *ratione quasi absoluta*; latria autem per adorationem sub *respectiva ratione per comparisonem ad honorantem*. Unde fit, religionem respicere Deum, non prout Deus potest cum creatura aliquam convenientiam habere, sed prout singulariter illam excedit; at vero amor non respicit singulari modo hunc excessum, sed bonitatem et communicationem ejus, quae, licet ut creata consideretur, semper est communicatio Dei.

Obj. 3.<sup>o</sup> Praeter omnem virtutem, qua homo diligit Deum et caetera proxime et immediate propter Deum, assignantur virtutes morales, inter quas una datur, quae est moralis et humana amicitia. Ergo in ordine supernaturali datur amicitia supernaturalis, huic morali acquisitae respondens a charitate distincta.

Resp. Neg. *conseq.* Quia amicitiae acquisitae abunde providet ipsa charitas theologica. Ratio est quia aliae virtutes morales quamvis supernaturaliter regulentur, retinent honestatem formalem distinctam ab honestate charitatis; objectum autem amicitiae humanae, elevatum ad regulam supernaturalem, habet ordinem ad eandem communicationem supernaturalem, et participationem ejusdem bonitatis, et ideo convenit in honestate et ratione virtutis cum charitate.

157. **Corollarium.** Ex dictis sequitur: Charitatem erga proximum esse amorem mutuae amicitiae inter homines justos.

Ita colligit communis sententia contra aliquos, ut Ripalda (1) estque res manifesta, nam: a) Ex probatis constat, justos sibi invicem et simili amore propter Deum sibi desiderare beatitudinem aliaque dona supernaturalia. Atqui iste amor est benevolentiae seu amicitiae. Ergo est etiam mutua amicitia inter homines justos. *Min.* patet, nam ille amor non est concupiscentiae erga nos et erga Deum; non enim quaerimus illo commodum nostrum, nec commodum Dei, qui ex creaturis nullum commodum capit; in tantum enim esset concupiscentiae vel erga nos, vel erga Deum, in quantum commodum nostrum vel commodum Dei respiceremus: ergo est amor benevolentiae seu amicitiae cum medium non detur. b) Si-

(1) De virt. theolog. D. 32, sect. 4.

mili modo proximum charitate diligimus, quo Deus illum diligit. Sed Deus diligit amore amicitiae, ut jam probatum est. Ergo...

Additur inter homines justos, quia solum inter ipsos potest dari ratione charitatis in qua communicant, amor mutuus ab amicitia requisitus. Peccatores orbantur charitate et ideo nequeunt communem amicitiam cum justis habere.

## SCHOLION II.

### *De ratione ordinis inter objecta charitatis.*

**Dico:** Inter objecta charitatis necesse est esse aliquem ordinem, consistentem in majori appretiatione et aestimatione objectorum.

158. **Nota.** Sub triplici aspectu potest considerari ordo in charitate: a) *objective* ut quando alicui majora bona diligenda sunt; b) *appreciative*, ut quando aliquid ita diligitur, ut plus aliis aestimetur; ita ut si oporteret, potius alia quis relinqueret, quam illud quod magis diligit; c) *intensive* quando majori conatu voluntas fertur, ita ut entitas amoris habeat plures gradus intensiois.

I.<sup>a</sup> Pars. Prob. Quia multa obijciuntur charitati, quae non sunt aequalia inter se: ergo necesse est ut habeant inter se ordinem.

In hoc autem ordine, ut per se patet, Deus principaliter, et Deus homo seu Christus secundario, qua homo, obtinet primum locum.

Ratio primi est, quia Deus maxime diligibilis est, et ad quem charitas maxime inclinatur: tum quia inclinatio ad ultimum finem est maxima; tum quia quod est summe bonum, maxime est per se diligibile. Ratio secundi est, quia licet Christus, qua homo, minus quidem diligendus sit quam ipse Deus secundum se, tamen plus semper diligendus est quam nos ipsi, quia etiam illa vita et illud bonum est infinitae excellentiae et dignitatis, ratione unionis. Praeterea jure redemptionis est quasi universale bonum cui debet homo quidquid est, et a quo suo modo pendet. Ergo.

II.<sup>a</sup> Pars. Prob. Charitas naturam suam, ablata omni intensione, habet majorem connexionem cum uno objecto quam cum alio. Etenim, cum inter objecta charitatis unum sit alio excellentius, excellentiora prae minus excellentibus majorem charitatis aestimationem sibi vindicant. Declaratur exemplo voluntatis, in qua nulla est intensio, sed est entitas indivisibilis, quae tota inclinatur in suum objectum, et tamen magis inclinatur ad Deum quam ad alia, et ad finem quam ad media, quia haec propensio non est intelligenda omnino uniformis, sed quasi multiplex pro varietate objectorum. A pari ergo charitas ad unum objectum inclinatur ex necessitate diligendum, ut patet in charitate beatorum respectu Dei clare visi, ad alium libere, ut accidit respectu aliarum rerum a Deo, quamvis ad utrosque actus, tota sua intensione inclinet. Confirmatur exemplo fidei, quae, licet habeatur minima in intensione, magis tamen appretiative inclinatur ad suam veritatem quam scientia intensissima ad suam, quia illa excellentia fidei fundatur in excellentia sui objecti.

Obj. 1.<sup>o</sup> Major appretiatione dilectionis sita est in firmiori adhaesione. Sed haec non potest haberi sine majori intensione, cum in ea consistat. Ergo...

Resp. Neg. *min.* et rationem adjunctam; quia firmior illa adhaesio consistit in modo tendendi intrinseco actus independenter ab intensione, ut patet in exemplo de fide et scientia nuperrime adducto, nec debent movere, in hac materia, loquutiones in speciem contrariae D. Thomae (1), quia, quamvis solum distinguat duos modos diligendi objective et intensive, id facit sumendo intensioem improprie et late, cum majorem amoris appretiationem, seu adhaesionem, comprehendit nomine dilectionis intensioris (2).

Obj. 2.<sup>o</sup> Si intensio non responderet appretiationi, posset dari casus, in quo plus amarentur creaturae, quam Deus. Sed hoc videtur absonum. Ergo...

Resp. Dist. *Maj.* Plus appretiative; neg. Intensive; conc. ad *min.* contradist. Probabiliter cum Suariorum, si plus appretiative; conc. Intensive; neg. Dixi probabiliter, quia juxta aliquos, quando creaturae intensius amantur, quam Deus, amantur ut media materialiter, seu ut habentia bonitatem sibi propriam a fine non participatam; non ut media formaliter seu praecise ut ducentia ad Deum tamquam finem ultimum.

159. **Quaeritur.** 1.<sup>o</sup> Quis sit ordo inter objecta secundaria?

Resp. Charitatem post Deum maxime inclinare: 1.<sup>o</sup> Ad seipsum diligendum. 2.<sup>o</sup> Inter caeteros proximos ad illum magis inclinatur charitas, qui secundum rectam rationem magis est amabilis. Pro casibus particularibus vide D. Thomam (2, 2, Q. 26) et moralistas.

2.<sup>o</sup> An diligere plus Deum quam se, sit juxta naturam?

Resp. Cum Angelico (3), et Suariorum (4) affirmative, et probatur breviter. Maxima inclinatio naturalis est ad ultimum finem. Sed Deus est ultimus finis. Ergo. *Maj.* prob. a) Quia finis ultimus est per se maxime diligibilis: inclinatio autem naturalis cum sit ordinatissima, est consentanea objecto. b) Quia ultimus finis est quasi ratio diligendi caetera; sicut enim a primo principio omnia procedunt, ita propter ultimum finem omnia appetuntur, etiam ipsum esse.

## ARTICULUS IV.

### De dignitate, necessitate et subjecto charitatis.

#### THESIS XXIX.

Charitas est virtus omnium quae homini in hac vita infunduntur perfectissima, imo et earum forma.

(1) 2, 2, Q. 26.—(2) Suarez. De charitate. D. 1, sect. 4.—(3) 2, 2, Q. 26, 2, 3.—(4) De charitate. D. 1, sect. 5.

160. **Nota.** I. Charitas proprie dicta theologica, alia est perfecta, alia imperfecta. Perfecta dicitur quae Deum et propter se et super omnia diligit saltem primo modo supra explicato; imperfecta quae Deum diligit propter se, sed non super omnia, quatenus non penitus voluntatem avertit a quocumque peccato, et est insufficiens ad justificationem.

Thesis procedit de charitate perfecta contra lutheranos asserentes fidem esse simpliciter charitate perfectiorem, et ex parte contra nonnullos thomistarum agentes charitatem quidem esse perfectiorem omnibus virtutibus in genere moris, quia est majoris meriti et laudabilitatis, non in ratione suae physicae perfectionis.

II. Proprium est formae perfectionem aliquam sui communicatione tribuere subjecto; patet vero charitatem: a) Non dare aliis virtutibus *esse* virtutis (1). b) Nec alias virtutes efficere supernaturales, cum fides et spes sint supernaturales et sine charitate in peccatoribus esse possint. Quam ergo perfectionem aliis virtutibus tribuit charitas? Explicat et respondet Angelicus (2): «in moralibus forma actus attenditur principaliter ex parte finis. Cujus ratio est quia principium moralium actuum est voluntas; cuius objectum et quasi forma est finis. Semper autem forma actus consequitur formam agentis. Unde oportet quod in moralibus id quod dat actui ordinem ad finem, det ei formam. Manifestum est autem... quod per charitatem ordinantur actus omnium aliarum virtutum ad ultimum finem; et secundum hoc ipsa dat formam actibus omnium aliarum virtutum: et pro tanto dicitur esse forma virtutum; nam et ipsae virtutes dicuntur in ordine ad actus formatos.» Praeciso dissidio thomistico, utraque pars theseos est certa et communis.

161. 1.<sup>a</sup> Pars. Prob. 1.<sup>o</sup> Scriptura. Paulus (3) ait: *Major autem horum (fidei et spei) est charitas.* Ad Colossenses (4): *Super omnia charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Ad Rom. (5). *Plenitudo ergo legis est dilectio.* Ad Timotheum (6): *Finis autem praecepti est charitas de corde puro.* Christus D. antonomastice de praecepto charitatis edixit (7): *Hoc est primum et maximum mandatum.*

2.<sup>o</sup> Ex PP. sufficiant S. Augustinus (8): «Nihil invenio eminentius charitate in divinis libris» S. Hieronymus (9): «Quae alia inter fructus Spiritus debuit tenere primatum nisi charitas, sine qua virtutes caeterae non reputantur virtutes et ex qua nascuntur omnia quae bona sunt.»

(1) D. Thomas 2, 2, Q. 23, ar. 7.—(2) Ibid. a. 8.—(3) I Corinth. XIII, 13.—(4) III, 14.—(5) XIII, 10.—(6) I<sup>a</sup> 1, 5.—(7) Matth. XXII, 38.—(8) In Ps. CIII.—(9) In Gal. c. III.

3.<sup>o</sup> Ratione, nam, si loquamur de moralibus omnibus virtutibus, sine controversia excedit charitas, cum sit theologica; quod si maxime praestat fortitudo ob martyrium, ejus excellentia manat a charitate. Si vero comparetur cum virtutibus theologis, etiam idem constat; et primo de spe, cum perfectiori modo tendat in objectum, scilicet in se et propter se; spes vero fundatur in amore concupiscentiae. De fide similiter probatur, quia charitas perfectiori modo attingit Deum quam fides: nam charitas tendit in Deum prout in se est; fides vero prout in nobis est (1).

Quod autem, non solum moraliter, sed etiam physice sit charitas perfectior, deducitur: a) Ex loquutionibus encomiasticis et absolutis Scripturae et Patrum, quae simpliciter, sine addito, absque ulla restrictione charitatem aliis virtutibus excellentiorem et perfectiorem praedicant. b) Ex majori perfectione ejus objecti formalis comparative ad objecta formalia aliarum virtutum. Atqui objectum formale perfectius, ut tribuens speciem physicam actui et habitui, etiam constituit actum et habitum actui respondentem perfectiorem. Ergo... c) Juxta ipsos adversarios si aliqua virtus esset charitate physice perfectior esset fides; at fides manifeste est inferior, cum Deum solum attingat obscure, charitas vero prout est in se et etiam ut clare propositum per visionem beatam.

II.<sup>a</sup> Pars. Prob. 1.<sup>o</sup> Charitas refert omnes actus virtutum in ultimum finem, qui in moralibus est quasi forma, ut in nota II dictum est. Ergo... *Antec. prob. Ex Apostolo (2): «Si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut aes sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia, et omnem scientiam; et si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.»* Ergo sine charitate aliae virtutes nihil prosunt ad vitam aeternam seu non sunt in finem ultimum ordinatae. Quod et probatur ulterius argumento D. Thomae (3): «Virtus ordinatur ad bonum... Bonum autem principaliter est finis; nam ea, quae sunt ad finem, non dicuntur bona nisi in ordine ad finem. Sicut ergo duplex est finis, unus ultimus et alius proximus, ita etiam est duplex bonum, unum quidem ultimum et universale, et aliud proximum et particulare. Ultimum quidem principale bonum hominis est Dei fruitio, secundum illud Psalmi (4): *Mihi adhaerere Deo bonum est;* et ad hoc ordinatur homo per charitatem.»

(1) D. Thom. 2, 2, Q. 23, a. 6.—(2) I Corinth. XIII, 1, 2, 3.—(3) 2, 2, Q. 23, a. 7.—(4) LXXII, 27.

2.<sup>o</sup> Valor et meritum bonorum actuum pendet a charitate (1). Ergo ut forma illud tribuens considerari potest.

162. Obj. 1.<sup>o</sup> Virtutes intellectuales sunt perfectiores virtutibus voluntatis, cum intellectus sit perfectior. Ergo...

Resp. Sunt perfectiores ex genere suo; conc. Individuatim sumptae; neg. Ratio est, quia ex principio in antecedenti assumpto, solum deducitur supremam virtutem intellectus esse perfectiorem supra virtute voluntatis, ut lumen gloriae charitate; nec sumi potest argumentum ex statu patriae ad statum viae, quia cognitio patriae essentialiter est perfectior cognitione viae: amores vero solum accidentaliter differunt; et ideo neque potest a pari argui ex prudentia praesertim naturali, quia est excellens charitas et perfectissima in suo genere et est regula omnium virtutum moralium.

Obj. 2.<sup>o</sup> Fidei in Sacra Scriptura tribuitur: a) Ipsa justificatio et vita spiritualis (2). b) Victoria mundi et vincendi virtus (3). c) Ipsa charitatis excellentia, dicente Apostolo (4): *Finis autem praecepti est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta*. Ergo excellentior est charitate fides.

Resp. Explico singula objecta in *antecedente*. Ad a) dico: justificatio et vita spiritualis tribuuntur fidei, formaliter; neg. Radicaliter et fundamentaliter; conc. Ad b) Tribuitur fidei victoria et vincendi virtus principaliter; neg. Fundamentaliter et directive; conc. Fides enim tamquam radius aeternae veritatis praesupponitur ad omnes alias virtutes supernaturales, quibus sua luce, licet obscura, objectum proponit et motiva suppeditat ad omnem difficultatem strenue vincendam; ita fide innixus ajebat Apostolus ad Romanos (5): *Existimo enim quod non sunt condignae passionibus hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis*. Ad c) Neg. in illo textu significari excellentiam provenire charitati ex fide tamquam a causa, solum dicitur charitatem fundari et dirigi per veram et sinceram fidem.

Obj. 3.<sup>o</sup> Interdum aliae a charitate virtutes referunt caeteras in suum finem, imo religio et poenitentia saepe imperant actum charitatis referendo ad finem. Ergo charitas vel saltem sola non est forma caeterarum virtutum.

Resp. Dist. *antec.* Aliae a charitate virtutes referunt alias virtutes in suum finem, ipsi charitati imperant quasi per accidens; conc. Per se, neg. Non enim negandum est per accidens et ex operantis libertate posse interdum inferiorem virtutem informare superiorem non simpliciter, sed quoad aliquem actum et in ordine ad fi-

(1) Disq. IV. Thes. XXII.—(2) Rom. V, 1; I, 11.—(3) I. Joann. V, 4. Hebrae. XI, 33.—(4) I. Timoth. I, 5.—(5) I. III, 14.

nem particularem. Charitas vero per se ac natura sua habet istum modum informandi, nam relatio ad ultimum finem, quae suprema est in genere virtutum, ad illam solam spectat.

### THESIS XXX.

Ut actus sint moraliter boni non opus est ut procedant a charitate sive perfecta sive imperfecta.

163. Nota. I. Charitatem esse necessariam ad salutem et per se praeceptam constat ex illis verbis S. Joannis (1): *Qui non diligit manet in morte*; et ex verbis Christi D. Pharisaeis respondentis praeceptum amandi Deum esse (2) *maximum et primum mandatum*; quod ita debere esse sic ostendit Angelicus (3): «Per se quidem debitum est in unoquoque negotio id quod est finis quia habet rationem per se boni... Finis autem spiritualis vitae est ut homo uniatur Deo, quod fit per charitatem: et ad hoc ordinantur, sicut ad finem, omnia, quae pertinent ad spiritualem vitam. Unde et Apostolus dicit (4): *Finis praecepti est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta*. Omnes enim virtutes, de quarum actibus dantur praecepta ordinantur vel ad purificandum cor a turbinationibus passionum; vel saltem ad habendam bonam conscientiam, sicut virtutes, quae sunt circa operationes; vel ad habendam rectam fidem, sicut illa, quae pertinent ad divinum cultum; et haec tria requiruntur ad diligendum Deum. Nam cor impurum a Dei dilectione abstrahitur, propter passionem inclinantem ad terrena; conscientia vero mala facit horrere divinam justitiam propter timorem poenae; fides autem ficta trahit affectum in id quod de Deo fingitur, separans a Dei veritate. In quolibet autem genere id, quod est per se, potius est eo, quod est propter aliud, et ideo maximum praeceptum est de charitate.» Idem praeceptum demonstrat Ecclesiae auctoritas, quae per Pontificem Alexandrum VII proscripsit hanc propositionem: «Homo nullo unquam vitae suae tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, et Charitatis ex vi praeceptorum divinatorum ad eas virtutes pertinentium.» Et per Innocentium XI has alias inter sexaginta quinque: 5.<sup>a</sup> «An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.» 6.<sup>a</sup> «Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare praeceptum charitatis.» 7.<sup>a</sup> «Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, et non habemus aliam viam, qua justificari possi-

(1) I. III, 14.—(2) Matth. XXII, 38.—(3) 2, 2, Q. 22, a. 1.—(4) I. Timoth. I, 5.